

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Sanctae Mechtildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber  
specialis gratiae**

**Mechthild <von Hackeborn>  
Mechthild <von Magdeburg>**

**Pictavii, 1877**

Caput XXX. De tribus quibus inter horas intendat.

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](#)

Ad Horas  
memoria  
Passionis  
Christi.

parata. Ad Tertiam, ob amorem quo ego contemptus, consputus et omni opprobrio saturatus, temetipsam contemnas et vilipendas. Ad Sextam, crucifigas tibi mundum, teque mundo ; cogitans qualiter ego amator tuus pro amore crucis sum affixus, et ideo omnia mundi delectabilia et suavia, tibi velut crux sint amara. Ad Nonam, moriaris mundo et omni creaturæ, videlicet ut amarosa mors mea intimo cordi tuo dulcescat, et omnis creatura tibi desipiat et vilescat. Circa Vesperas, hora videlicet qua de cruce sum depositus, recoles in gaudio qualiter post mortem et omnes labores tuos felici requie in sinu meo pausabis. Ad Completorium quoque, memor sis unionis illius beatissimæ, qua unus spiritus tecum effecta, meipso in summa experientia perfrueris : quæ unio incipiet per voluntatis meæ et tuæ concordiam, in omnibus tam adversis quam prosperis, et in futuro complebitur per gloriam sine fine mansuram. »

## CAPUT XXX.

## DE TRIBUS QUILIBUS HOMO INTER HORAS INTENDAT.

**S**i quis etiam Horas canonicas devote cantare voluerit, his tribus intendere studeat. Ab exordio Horarum usque ad psalmos laudans extollat abyssum humilitatis, quo illa excellentissima divinitatis majestas a summocœlorum se inclinans, in vallem misericordiae nostræ humiliiter se dejecit. In qua humilitate, Deus Angelorum factus est hominum frater et socius, imo et humilis servus, secundum quod ipse dicit : *Non veniam ministrari, sed ministrare* (MATTH. xx. 28), et ob reverentiam illius humiliationis inclinet se devote. Inter psalmos

vero, extollat inscrutabilem Deisapientiam, quæ tam dignanter cum hominibus conversata, per semetipsam dignata est hominem salutaribus instruere verbis et monitis, gratias agens ei, dum inclinat, pro omni doctrina et verbis mellifuis, quæ unquam de Corde et ore ejus dulcissimo profluxerunt. Item gratias agat pro omnibus verbis Prophetarum, prædicationibus et dictis Sanctorum; quia et illa veraciter Spiritu Sancto instigante protulerunt. Item pro omni gratia et spirituali influxione, quam per semetipsum Deus homini secundum beneplacitum suæ voluntatis inspirare dignatur. Post psalmos usque ad finem Horarum, extollat dulcissimam benignitatem, in qua se exercuit in omnibus quæ fecit aut passus est; gratias agendo pro omnibus desideriis, orationibus et omnibus quæ fecit aut pertulit pro nobis; specialiter quidquid illa hora sustinuit ipsi gratias referamus.

Humilitas,  
sapientia et  
benignitas  
Domini.

## CAPUT XXXI.

QUALITER HOMO HORAS SUAS INCHOET, ET QUID SIT MINIMUM  
BONUM QUOD HOMO FACERE POTEST.

**A**PPARUIT aliquando Dominus famulæ suæ in somnis, quem inter alia requisivit, si quemadmodum legitur de vitiis, quod nullum peccatum adeo leve sit, si veniat in usum, quin fiat mortale<sup>1</sup>, etiam virtutes ex consuetudine factæ majoris meriti coram Deo reputentur. Cui Dominus: « Etiam nullum bonum adeo parvum est, quin ipsa consuetudine magnum appareat coram Deo. » Tunc illa: « Quid est minimum bonum in quo se homo utiliter et frequentius valeat exercere? » Cui Dominus: « Ut homo devote et

1. Quod non est intelligendum sensu theologicō, sed moraliter tantum.